

redactis concessum. 3. Plures in prioribus seculis Clerici solum depositi, quin expresse fuerint segregati vel excommunicati, nequaquam Eucharistiae participes fuere.

Sic a Conc. EPHEZINO depositionis poena in Nestorium statuta his verbis: *Igitur Dominus noster J. C., quem suis ille blasphemis vocibus impetravit, per S. hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, et ab universo Sacerdotum consortio et cœtu alienum esse definit. Neque aliud quid praeter ista legitur in epist. ad eum missa: Agnosce te propter impias predicationes tuas, et adversum Canones contumaciam 22. die Junii presentis juxta Ecclesiasticarum sanctionum decreta, a S. Synodo depositum, atque ab omni ecclesiastico gradu alienum esse. CONCILIO CHALC. in condemnatione Dioscori ait contra ejus sequaces: Qui fidem diversam fabricare fuerint ausi, depositi sint ab Episcopatu, si sint Episcopi: a Clericatu, si Clerici fuerint. Sic CONCILIO GEN. V. præmissis anathematismis ait: Si quis conatus fuerit contra hæc, que pie disposuimus, vel tradere, vel docere vel scribere, siquidem Episcopus vel Clericus sit, iste tanquam aliena a Sacerdotibus et statu Ecclesiastico faciens denudabitur Episcopatu vel Clericatu; si autem monachus vel laicus, anathematizabitur. Ita Cone. Gen. V. et Cone. Provinc.*

Infero: vel ergo *Nestorius, Dioscorus, aliquie Monothelitarum, et similium Hereticorum Episcopi ac Clerici admittebantur ad communionem laicam omnimodam, et participationem Eucharistiae: cur autem ipsi Jansenistæ judicio opposito eamdem denegant Calvinianis, Lutheranis, aliisve Sectariis? Vel illi non admittebantur; ergo non erat moris, dare communionem laicam Clericis depositis; sed ea ceu beneficium debuit exprimi, cum ipsa subjecti indignitas, et contumax aut peccato, aut errori adhaesio per se Sacramenti perceptionem prohiberet.*

*Inst. 2. Senecensis Episcopus nequidem fuit depositus in Conc. Ebredun., sed tantum suspensus; ergo laica communio eo minus ei fuit denegata. Ad hæc aliud Episcopi Senec. delictum non repères, sive in sententia Concilii sive in Brevi Apost. eamdem confirmante, quam inobedientiæ circa subscriptionem formulari, acceptationem Bullæ UNIGENITUS, et faciendam prohibitionem lectionis LL. Quesnelli; adeo ut nihil, quod est fidei, unquam negarit; aut quod est contra fidem, asseruerit.*

R. Maligne hic silent Janseniani de sententia Concilii adversus doctrinam Episcopi Senecensis: quamvis enim Patres Ebredunenses nec depositionis, nec excommunicationis sententiam expresse tulerint; tamen multis et aperitis signis eum Eucharistia indignum declararunt, damnando ejus doctrinam, ut schismatico, heretico spiritu plenam, erroribus refertam ac hæreses foventem, in censura Instructionis pastoralis; comparando eum cum naufragantibus in fide, ejus vitam hæreticorum more conspurgatam perstringendo, in suis ad reliquos Episcopos Encyclicis; nolendo communicare cum illo, qui dum auderet interesse Hymno Ambr. post Synodum finitam, ob minacem totius vultus stuporem in Episcopis observatum, discessit e templo.

Cur autem Patres Ebredunenses Episcopum Senec. nec deposuerint, nec expresse separaverint, ratio est: quia nec juste id poterant, cum decernat CONCILIO TRID. causas criminales majores contra Episcopos ab ipso tantum summo Pontifice cognosci ac terminari debere: nec prudenter, ne suam sententiam infirmarent, et salutaris operæ fructum perderent, cum reo et

damnato Romam provocante, Pontifex sententiam condemnatoriam, utpote iuri contrariam ac sibi præjudicioram, confirmare nollet; vel suppressa silentio, cum damnatione, tum provocatione, Senecensis audacior insurgeret, totiusque Concilii apparatus penitus labefactaretur. Verum hisce nostris temporibus nec facultas, nec justitia, nec prudens ratio deest Episcopis Galliæ, refractarios subditos segregandi, uti probant novissimi in Galliis circa Bullas et Sacraamenta eventus.

Accessit autem ad sententiam Concilii Ebred. confirmatio Pontificia, et vindex regis auctoritas; ergo reipsa, licet non expresse ac nominativum, fuit excommunicatus.

*Inst. 3. Episcopus Senecensis fuit acerrimus defensor 12. articulorum, qui complectebantur doctrinæ Christianæ 12. capita, juxta plerosque per Bullam UNIGENITUS violata; ergo cum 12. illi articuli sint probe Catholicæ, mirum sane est, tum quod Sedes Apost. eos, quamvis a Card. Noallio propositos, noluérunt approbare, tum quod propterea Senec. Episcopi doctrina fuerit condemnata.*

R. 1º. Ex litteris ad Bened. XIII. an. 1728. directis a Cardinalibus Gallicanis et ab Archiepiscopo Mechlinensi aperte colligitur, quod ex 12. illis articulis alii ad ipsam Constitutionem nullatenus pertinere dignoscantur: alii certum et a nemine impugnatum dogma exprimunt: alii liberis, et in utramque partem in scholis agitari solitis opinionibus obstant et vim faciunt: alii propter argumenti invidiam in medium adduci non possunt absque periculo novarum disputationum; alii denique verbis indefinitis ac negativis expressi, propter nimiam terminorum extensionem, absolute in se falsi sunt et errori obnoxii. Itaque prudenter recusata a BENED. XIII. illorum approbatio, præsertim cum illorum auctores Bullam UNIGENITUS per hosce articulos explicare intenderent. Simili de causa HORMISDAS P. nunquam adduci potuit, ut approbaret in se ceteroquin veram propositionem: *Unus de Trinitate crucifixus est Christus, eo quod a suspectis Eutychianismi proponeretur approbanda. Hinc scite notat S. LEO M.: Novatores omnibus nostris factis et dictis insidianter, ut si ullam illis vel tenuem occasionem demus, nos Nestoriano (jam Baiano, Janseniano, Quesnelliano) sensu etiam congruere mentiantur.*

R. 2º. Universim contra explications, ad Bullæ acceptationem a Quesnelliianis prærequisitas, facit hoc dilemma: vel enim hujusmodi explications exhibebunt sensum Bullæ naturalem; et rejicientur, nisi novæ accedant elucidationes, prout rejecta fuit ipsa Constitutio; et istæ iterum simili de causa expludentur, ut nullus detur explicationum finis. Vel non exhibebunt sensum naturalem, sed aliquid ab eo diversum; et clamabunt refractarii, quod jam a Sede Apost. deseratur Constitutio veluti vitiosa quod sensui obvio substituatur aliis sensus, et per consequens, quod Sedes Apostolica sibi non constet, quod variaverit etc.

*Inst. 4. Card. Noallius, quamvis non retractasset sua Decreta pro libro Quesnelli, atque a Bulla UNIGENITUS appellasset ad Synodum oœcum.; tamen decessit in pace et communione Ecclesiæ; ergo nec Senec. Episcopus ab ea excludendus fuit.*

R. N. supp. Ant. Quippe Noallius in edito pastorali Mandato 41. Octobr. an. 1728. Bullam UNIGENITUS pure, ac simpliciter acceptat, simul revocans suam Instructionem pastoralem an. 1719., cæteraque omnia prædictæ

Bullæ adversa, quæ sub ejus nomine vulgata fuerant, his verbis: *Idecirco coram Deo, et invoco Dei sanctissimo Nominis, cum sincerissima submissione ac reverentia accepto Constitutionem UNIGENITUS; damnoque et librum Reflexionum Moralium, et propositiones 101. inde extractas, eodem modo atque sub iisdem qualificationibus, sub quibus Papa illas condemnavit. Insuper autem moneo cunctos fideles utriusque sexus, qui sunt de mea Diœcesi, neutquam licitum esse, sentire contrarium iis, quæ per prædictam Constitutionem sunt definita.* Paucis interjectis: *atque ut probatissima omnibus sit sinceritas submissionis nostræ erga S. Sedem: hisce toto corde ac spiritu revoco non tantum Instructionem de an. 1619. die 14. Jan., sed et illud omne, quod meo nomine publicatum unquam fuit, præsenti huic acceptationi meæ contrarium.*

*Inst. 5.* Notabilis pars Ecclesiæ vel plane rejicit Bullam UNIGENITUS, vel eam non acceptat ceu dogmaticam; ergo et Senecensis impune id facere potuit. *Prob. A.* Ex ingenti numero Appellantium.

*R. 4º. N. A.* Factio Quesnellistarum Appellantium, quam ipsimet Ecclesiam parvam nominant, audienda non est contra Ecclesiam summi Pontificis et omnium Episcoporum. Nimirum Roma venerunt Rescripta, quibus pars Ecclesiæ notabilis jäm ultra 48. annos adhaeret, ita ut vix unus hodie sit Galliæ Episcopus, qui refragetur; cæteris per orbem vel expresse, vel tacite consentientibus: id quod sufficit, quia teste Aug. epist. 119. ad Januar. (al. 53. c. 49. n. 33.): *Ecclesia Dei..... quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit;* unde Doctiss. Bossuetus: *Quocumque modo fiat, ut Ecclesia consentiat, transacta plane res est.* Hanc adeo regulam tenet cum Petro Aurelio, scriptore Quesnelliæ minime suspecto Tom. I. pag. 98., ipsem Quesnellus de Trad. Eccl. Rom. Tom. I. pag. 217.; ergo causa finita est, non obstante tantillo sese opponentium numero, qui relate ad numerum miliecuplo majorem jure pro nihilo habentur: sicut ille numerus Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Apolinistarum, Eutychianorum etc.

*R. 2º.* Si hæc objectio, et novum de infallibilitate Ecclesiæ sistema La Borda Quesnellistæ quicquam valeret, vi cuius scilicet nihil per consequentiam ex verbo Dei deducibile, ceu veritas revelata definiri possit: laicis etiam et Clericis inferioris ordinis competit votum definitivum, iisdemque subjacent Concilii etiam œcumenici definitiones quoad revisionem, reformationem et confirmationem; spatiosa pateret via ad spiritum privatum, et ad Ecclesiam invisibilem, h. e. nullam.

*Inst. 6.* Ipsi Præsules Gallicani non acceptarunt Bullam UNIGENITUS, nisi sub certa instructione ac explicatione, nec sine aliqua in acceptando discrepanzia; ergo nec ab aliis simplex ac omnimoda obedientia exigi debet.

*R. N. A.* Pastoralis enim Instructio primum die 1. Febr. an. 1714. prudiit; ergo nondum extabat, cum facta est acceptatio 23. Jan. an. 1714.; prout diserte testantur Acta Comitiorum an. 1714. Evidem cum acceptarent Episcopi, simul statuerint, Instructionis pastoralis exemplum subinde conficiendum esse, ut *adversus malignas malevolorum interpretationes suos præmunirent*: non vero ut Constitutioni Apost. aliquam restrictionem afferrent. Mirum, quod adversarii non potius reflectant ad ingentem illam non acceptantium dissensionem, tum circa repudiationem Bullæ, tum circa

ipsam pastoralem Comitiorum de an. 1714. Instructionem, tum circa Bullas adeo contra Baium et Jansenium editas. Nonne mitiores alii, alii rigidiores Jansenii asseclæ sunt? Nonne plurimi cum Quesnello asserere non verentur, damnatas 101. propositiones esse totidem *Catholicas veritates*, dum alii scatere plerasque, aut saltem favere *Jansenianis erroribus*, fateantur? Nonne alii Bullam vocitant *horrendum mandatum*, quo tota Religio aperte concutitur: alii vero ea nonnisi obscuritate sua *abusibus* locum dare videtur? Nonne de Appellantibus alii contendunt, Bullam *quacumque data explicacione* non posse recipi? alii contestantur, se ad eam cum explicacionibus recipiendam paratos esse; ut proin valeat hic contra Quesnelianos illud S. Aug. effatum serm. de divers. 44. (al. serm. 4. c. 31. n. 34.): *Videte illos, qui se ab unitate præciderunt, in quot frusta divisi sint; cui præclare consonat Bossuerus in I. Mand. circa promissa Ecclesiæ, num. 19. Excusso semel salubri auctoratis Ecclesiæ iugo, necesse est, inquit, perpetuas et interminabiles nasci scissuras ac dissensiones.*

*Inst. 7.* Legi Ecclesiæ non debetur assensus mentis, sed sufficit obsequiosum duntaxat silentium, id quod ex Constituto VIGILI P. manifestum est: sed Constitutio UNIGENITUS est lex Ecclesiæ; ergo cum plerique Appellanties hoc ei silentium deferant, satisfacere censendi sunt.

*R. D. M.* Legi Ecclesiæ mere disciplinari vel œconomia, item circa factum mere personale aut grammaticale *C.* Legi seu judicio Ecclesiæ dogmatico, quod cum fide connectitur *N.* Adhæc non tam præcipitur assensus internus per actum mentis positivum præstandus, nisi jurata subscriptio cordis et manus consensionem exigat; sed potius prohibetur dissensus internus. Porro dispar ratio est inter potestatem legislativam, quæ ex se non dicit infallibilitatem. (et sententiæ judicis ac mandato Principis, quantumvis fallibili, nihilominus parendum est) atque inter Ecclesiæ judicia, quæ circa fidem, et circa ea, quæ spectant ad integratæ fidei, ex promissa Spiritus sancti assistentia sunt infallibilia, ac proin irretractabilia. Demum præcise per obsequiosum silentium obtinetur finis *legis*, non item finis Ecclesiæ circa facta dogmatica sine assensu interno, aut saltem sine excluso dissensu interno, prout abunde constat ex innumeris tricis ac tergiversationibus Jansenistarum. Adde, quod *Constitutum VIGILI P.* non fuerit factum dogmaticum, sed mera prohibilio ex prudenti œconomia.

*Inst. 8.* Decreta Sedis Apost. circa ritus Sinenses et Malabaricos non exigunt assensum mentis, quamvis sub excommunicatione adigerent Missionarios ad eos ritus habendos pro superstitionis, et ad obedientiam Decretis præstandam sub juramento; ergo nec Bulla UNIGENITUS. Adhæc Bullæ Pontificum multoties variarunt in hisce ritibus: quidni circa Bullam UNIGENITUS immutatio fieri possit a successoribus Clementis XI.?

*R. 1º.* Circa ritus SINENSES, h. e. cærimonias, queis Sinenses ad Confucium Philosophum, et Majores suos honorandos uti consueverant, multis annis curam Sedis Apost. ad se traxerunt dissidia Missionariorum. *Aliis* visum, idque Romanum delatum, eos ritus esse superstitiones: id ipsum judicante S. Congregatione de propag. Fide: et INNOC. X. ad dictæ Congregationis preces sub pena excomm. eosdem prohibuit. *Aliis* visum, et Romanum pariter relatum, aliquos Sinensem ritus esse mere civiles ac politicos, quales officii gratia viventi magistro, viro eximio, ac progenitoribus congruunt, et quidem

sine ulla prostratione, prece, oblatione, libamine; non in templo, aut cede dicata, sed in aula, in domo, in schola exhibiti: judicavit Congregatio S. Inquisit., illos esse permittendos; et utrumque Decretum observari voluit ALEX. VII., cum non sint contraria: cum responsum sit secundum diversas expositiones rituum Sinensium.

Exortis novis turbis CLEMENS XI. tum per Tournonum, tum per novam Constitutionem sub pœnis canonicas prohibuit omnes ritus superstitionis, permittendo tamen aliqua a scando, quovis ministerio, et superstitionis actibus semota, v. g. *presentiam* mere naturalem ad ritus gentilium, *tabellas* progenitorum solo defuncti nomine inscriptas, adjectaque a latere Christiana declaratione de pietate erga defunctos consanguineos etc. Videri poterat causa finita per tam solemnum Constitutionem Apost., nisi Mezzobarba per Litteras pastorales zelo et charitate plenas fallaciter induxit omnes Episcopos, Vicarios Apost., et Missionarios, ut crederent pleraque esse permissa, quæ tamen ceu plena superstitione tam stepe et tam graviter fuerant interdicta. Has vero Mezzobarbae permissiones iterato discussas INNOC. XII. cassas declaravit et irritas, earumque praxin damnavit. Idem præstitit BENED. XIV., omnibus item Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apost. et Missionariis tam Secularibus, quam Regularibus cujuscumque ordinis gravissime prohibens, atque Superioribus præcipiens, ut contumaces in Europam revocent, pro delicti gravitate puniendos; addita insuper nova jumenti formula ab omnibus Missionariis Indicis nuncupanda.

R. 2º. Circa Ritus MALABARICOS editum a Tournonio Indiarum et Sinarum Visitatore Decretum, quo inter alia præcipitur, ut in Baptismo adhibeantur *Sacramentalia*, signanter *sal*, *saliva* et *insufflationes*. Hoc Decretum approbat CLEMENS XI. sub clausula, donec aliter a Sede Apost. provisum fuerit. Sparso rumore falso, nonnulla Decreti Tournoniani puncta fuisse revocata, id CLEMENS negavit; item habita sub INNOC. XIIII. finitaque sub BENED. XIII. speciali Congregatione, illud Decretum Tournonii approbatum est, et confirmatum. Cum vero Indiarum Episcopi et Missionarii negarent, eam confirmationem sibi innotuisse, CLEMENS XII. post novum examen novum ad illos Mandatum direxit, in quo ad meitem S. Officii dispensat circa *salivam* et *insufflationes*, circa quas ingens apud Indos horror fuit, ad decennium; interim vero, ut populum Ecclesiæ cæromoniis assuefaciant, præcipit.

Idem Pontifex, cum quidam causarentur, non posse ritus Indorum huic præscripto conformari, sub gravibus penit. et juramento exacto Decreti executionem imperavit. Postea vero Missionarii contestati sunt, se inique accusatos fuisse, atque a BENED. XIV. onus juramenti et metum censurarum deprecatis, dispensationis circa *salivam* et *insufflationes* prorogationem petierunt. Papa juramentum et intentatas censuras non sustulit, dispensatione autem circa *salivam* prorogata pro casu necessitatis itidem ad decennium, ita ut hoc elapo spes nulla supersit ulterioris prorogationis.

R. 3º. Quis vero ex his non manifeste intelligit, nullam hic questionem aut decisionem circa *dogma* aliquod intervenisse: Decreta Pontificia non fuisse penitus absoluta, sed *restricta* saepè ad certum tempus, varias circumstantias, idque pro diversa relatione *facti*: neque Pontifices, neque SS. Congregationes sibi invicem repugnasse, cum INNOC. X., CLEMENS XI., XII. et BENED. XIV. *ritus Sinenses* proscriperint, quales revera plenissimi super-

stitutione, et a P. Joann. B. Morales expositi fuerant; ALEX. VII. autem illos tantum permiserit, quos pure civiles ac politicos esse P. Martinius exposuerat? Atque ita Pontifices omnino conciliaverat an. 1669. Congregatio S. Inquisit., jubens observari utrumque Decretum, tum S. Congregationis de propag. 1643, tum Congregationis S. Inquis. 1636, et si pro diversitate rerum, quæ fuerunt in dubiis expositæ, aliqua ratione ab invicem diversum; atque hoc Decretum CLEMENS IX. an. 1669. comprobavit. Circa Bullam UNIGENITUS omnia longe aliter se habent, sive ipsam Bullam, sive materiam et objectum Bullæ, sive cognitionem causæ, sive executionem Bullæ, ejusdemque acceptationem, atque alias circumstantias speces. Vide BENEDICTI XIV. sapientissimas Constitutiones, alteram de an. 1742. 9. Aug. *Ex quo singulari*; alteram de an. 1744. 12. Sept. *Omnium sollicitudinum*.

247. Obj. III. Censura 101. propositionum in Bulla UNIGENITUS, est illegitima, utpote indeterminata et vaga; ergo et ipsa Bulla non meretur nomen ac honorem judicij Ecclesie dogmatici. Prob. A. Illegitima est sententia judicis, quæ diversorum criminum reos decernit *indeterminate* plectendos, alios gladio, alios furca, alios rota, alios rogo; item in legibus civilibus sententia, quæ indiget leuteratione, interim suspenditur; imo pro nulla habetur sententia, quæ *vage* præcipit hæredi, solvere aliqua ex fraudibus, aliqua ex usuris debita etc., ergo a pari.

R. N. C. *Disparitas est*. Quia sententia judicis fertur ad executionem realem ac individualem; ergo determinari debent singulæ personæ, et pro his singulæ pœnae. Ecclesia autem damnando propositiones *in globo* intendit, doctrinam falsam et noxiæ arcere a fidelibus; qui finis obtinetur, tametsi non singulas censuras deterrinet pro singulis propositionibus. Idem est de aliis: quia justitia commutativa sicut respicit equalitatem realem, ita et individua a parte rei, quibus ea reddenda sunt debita; sufficit autem ad finem Ecclesiæ libros et propositiones noxias damnantis, quod nulla sit censura, quæ non conveniat uni ex 101. propositionibus; et nulla propositio, cui non correspondeat una ex omnibus illis censuris.

Inst. 1. Inter tot Quesnelli propositiones damnatas ne una quidem determinari potest, quæ sit *certo* erronea aut hæretica; si vero etiam inter illas plures sint erroneæ, hæreticæ et scandalosæ, ut quid liber Quesnelli per 40. annos generalem quamdam habuit *approbationem*, et a fidelibus plerisque non tantum immoxio, sed magno spiritu profecta legabatur, imo justificatus etiam a BOSSUETO?

R. Ad 1º. Necesse non est, ut multoties dictum, ad legitimam censuram, sigillatim determinare, quæ cuivis propositioni conveniat nota; si quis tamen in libro Quesnelli, ad instaurandum tum Baianismum, tum Jansenismum aperte composite, legit propositiones ejusmodi, v. g. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*: 59. *Oratio impiorum est notum peccatum*: 13. *Quando Deus animam tangit interius gratie sue manu, nulla voluntas humana ei resistit....* is totidem prope verbis in Calvino, Baio et Jansenio predidamnatas deprehendet tanquam erroneas et hæreticas; præsertim cum 13º. propositio Quesnelli plane eadem sit cum 2º. Jansenii: *Interiori gratiae nunquam resistitur*.

R. Ad 2º. Liber Reflexionum Moralium a Quesnello primum editus

an. 1671., sed unico breviori volumine in-12. Idem opus editum fusius, tribus tomis in-12. an. 1687., qui tamen brevissimas in Evangelia explicationes complexi, plerasque damnatas necdum continebant, neque Auctoris sistema adeo inculcabant; ac proin ipsomet Quesnello teste *libellum* duntaxat conficiebant nec erant nisi *adumbratio* *Reflexionum Moralium* an. 1693. editarum. A prima ergo ad secundam anni 16., a secunda ad tertiam operis editionem sex anni subducendi sunt. Ubi vero an. 1693. editio prodiit plus duplo major, licet politioris sermonis et affectatae pietatis fuso plena, continuo tamen seu exitiosum opus habitum a D. Fromageau, qui an. 1694. propositiones 199, velut erroneas et censura dignas inde colligit: Archiepiscopus Turon. an. 1698., Episcopus Carnot. an. 1699, contra illud seu opus summe pernitosum insurrexere: posthac Archiepiscopi quam plurimi lectionem illius libri fidelibus interdixerunt, Episcopi, vero omnes, qui an. 1714. Bullam *UNIGENITUS* acceptare recusarunt, uno excepto Mirapicensi eudem Mandatis pastoralibus prohibuerunt et damnarunt. His clamoribus excitus CLEMENS XI. an. 1608. per Breve Apost. librum feriit anathemate, et quatuor post annos ad preces Ludovici M. per Bullam *UNIGENITUS*.

R. Ad 3<sup>um</sup>. BOSSUETUS Quesnelli doctrinæ semper adversabatur: nam 1<sup>o</sup>. de observationibus Quesnelli dixerat, esse *perniciosas, apertos Jansenii errores iis contineri, nec eos debere legi ab iis, qui christianam pietatem profiterentur*. Ita D. le Pelletier Paris. curiae prefectus, atque Episcopi Lucion. et Rupell. testantur; quin et ipsimet Quesnelliani, Abbas Dambe aut Couet in epist. ad BOSSUETUM Episc. an. 1700.; et Willardus eod. an. in epist. ad Quesnellum idem fatentur. 2<sup>o</sup>. Cum Quesnelliste magnum BOSSUETI nomen, quo liber videretur innoxius, interponere tentabant; annuit is quidem sub conditione, si correctis 120. propositionibus, aliæ duriores in benignum sensum exponerentur. At vero, ubi novam editionem an. 1699. sine ulla correctione curarent Quesnelliani, BOSSUETUS Monitum a se elaboratum recusavit præmittere libro Refl. Mor., hujus tamen Moniti exemplar nacti Quesnelliste, illud pluribus post mortem BOSSUETI annis ediderunt sub infido nomine, *Justificationis Reflexionum Moralium*.

Inst. 2. Ex damnatione propositionis 94.: *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulti, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesia per charitatem affixi sumus: deduci facile possunt plures consecutiones regni et regum Galliae juribus præjudiciorum; unde in ipsa regii Diplomatis relatione in Acta supremæ curiae Paris., inserta est exceptio, seu clausula; ergo.*

R. 1<sup>o</sup>. N. A. Nam nonnisi distorte ac maligne id fieret. Nihil autem simile sequi, luculentissime demonstrat illud eximum documentum Praesulum Gallic. an. 1714. Propositio autem justa fuit damnata: 1. quia est *indefinita negans et in materia doctrinali, adeoque complectitur officium, non tantum ex jure naturali et divino præstandum, sed et officium non essentiali ac dispensabile: sic vero scandalosa est, et auctorati Ecclesie injuriosa, juxta receptum axioma juris: sententia injusta, si modo nulla non est, timenda est et servanda.* 2. *Schismatica est ac perniciosa, quia juxta Quesnellum, suum et suorum debitum atque officium nihil aliud est, quam retinere ac defendere* Baii ac Jansenii doctrinam velut Augustinianam, quamvis a Sede Apost.

proscriptam; id quod manifestum est ex libris Arnaldi, Gerberonii et Quesnelli contrà Decreta Rom. Pontificum. 3. Satis hoc unum: Quesnellus in causa Quesnelliana pag. 140. inter varia officia computat *arctam*, ut ait, *obligationem, non subscribendi formulario, tametsi subscriptio sub poena excommunicationis præcepta sit; et pag. 198. scribit, esse sacrilegum et toti Ecclesiae injuriosum, exigere subscriptionem et juramentum facti Janseniani, quod formulario ALEXANDRI VII. continetur.*

R. 2<sup>o</sup>. Clausula illa Senatus Paris. non est proprie *restrictiva* aut limitativa, sed mere explicativa, et provida cautio contra pravas illationes adversus sensum genuinum Constitutionis; id quod ipsi etiam Praesules Galliae an. 1714. fecerant. Si enim foret restrictio proprie talis, excluderetur sensus aliquis genuinus Bullæ, qui non est, metum injustæ excommunicationis debere nos impedire ab implendis *officiis immutabilibus et invariabilibus*, qualia sunt officia legis naturalis et divinæ, cultus Dei, fides debita principi ac patriæ etc. Quod sine gravissima Pontificis ac Episcoporum injurya dici non potest. Ac demum quam cariosa essent principia libertatis Ecclesiæ Gallicanæ ac regiae independentiæ, nisi fundamento solidiore niterentur, quam propositione condemnata?

Inst. 3. Doctrina Quesnelli de *excommunicatione* innititur auctoritatim INNOCENTII III., qui cap. 4 nobis, de sent. excomm. *Judicium Dei*, inquit, veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; *judicium autem Ecclesiae nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere sœpe contingit, et falli;* tum S. AUGUSTINI L. de ver. Relig. c. 6., ubi iisdem prope verbis adstruit Quesnelli sententiam; ergo.

R. Ad 1<sup>um</sup>. Quam infide ac inscite huic a Jansenistis trahatur INNOCENTIUS, vel liquet inde, quod eo loci Papa explicite loquatur de sententia excommunicationis, quam dependenter a *factis* duntaxat *personalibus* ferri nemo nescit; adeoque prepostere plane sit progressus ab illis factis, in quibus errorem irreperere facile est: vel ad facta dogmatica, in quibus Ecclesiæ infallibilitas tam solide, quam copiose demonstratur: vel ad sententiam INNOCENTII et Ecclesiæ indefinitam de quacunque excommunicatione, ipsa potestate excommunicandi.

R. Ad 2<sup>um</sup>. Sententia S. AUGUSTINI longe alium sensum facit, ut patet ex contextu et scopo S. Doctoris. Vide Tract. de Princip. Theologicis ubi de Membris Ecclesiæ.

Inst. 4. Qui Bullam rejiciunt, propositiones in Bulla damnatas non defendunt, nisi in *sensu catholico*. Quod autem jure Bullam rejiciant, exinde colligitur, quia inimici Ecclesiæ ex Bulla *UNIGENITUS*, nullius erroris convinci possunt; ergo.

R. Ad 1<sup>um</sup>. N. A. Sed plerique refractarii, praesertim qui dirigunt seditionem, illas defendunt in *sensu auctoris Quesnelli*, qui ipse illas defendit in *sensu Jansenii*. Dein non solum per hoc, quod propositiones damnatae defendantur in *sensu haeretico*, peccatur contra obedientiam Ecclesiæ debitam; sed etiam per hoc, quod leges ecclesiasticae præcise latæ pro conservatione fidei, atque ex motivo præservandi oves Christi a pascuis noxiis ac periculosis, proterve violentur. Alioqui cuivis liberum erit, seditione abjicere tot decisiones legitimas contra Hussum, Wickleffum, Lutherum, Baium,